



NOVA POSONIENSIS.

ANNO CHRISTI MDCC XXII.

DIE XVIII. FEBRUARII.



Isbona, a. d. 14. Jan.

Vindfieldius, mercator Anglicus, ex legum publicarum præscripto capitis quidem damnatus fuit, sed regis tamen vo-

luntate statim absolutus, non libertatem solum, sed & merces suas, quæ publicatæ iam erant, recuperavit.

Madritti, a. d. 6. Jan. Ex portu Gaditano perscriptum ad nos est, mercatores qui classem communem anno superiori in Indiam dimiserant, omnibus quas illa aduexit, mercibus atque pecuniis iam esse potitos. Tantam autem in America mercium Europæarum esse copiam, vt ante biennium nullam eomittere classem sit necessum.

Parisis, a. d. 21. Januari. Dux Carnu-

tensis cum valetudine propemodum in gratiam rediit, & medicorum ope, grauedo, qua aliquot dies laborauerat, prorsus remota est. Hodie, hora, ante meridiem octaua, Villaquierius dux in senatum primorum Gallix, quos *Pares* vocamus, adlectus fuit, quæ ceremoniarum solemnities omnes principes, qui regix adnexi sunt stirpi, sua præsentia cohonestarunt. Forte his diebus accidit, vt Villarsius, primarius castrorum præfectus in lubrico pavimento laberetur, & eam corporis partem affigeret, qua grauitè olim in Flandria vulneratus fuerat. Atque hinc altera coxendix cum crure turgescere cœpit, magnusque & acerbus duci dolor exortus est. Sed postquam medicis aliquantulum sanguinis elicuerant, & præsentissima partibus male adfectis adhibue-

rant

rant medicamenta, & tumor refedit, & dux fere conualuit. Chamilius autem comes vrbis Rupellæ præfectus d. 14. Jan. vitam cum morte commutauit, ad cuius filiam, Cleriam nomine dictam, opulentum peruenit patrimonium, vtpote quæ heres ex affe facta est. Orgeuilus, homo paullo maioribus opibus præditus, & libellorum supplicum magister, legatus extraordinarius in aulam *electoris* Colonienfis mittetur. Quemadmodum crebris, qui ex Hispania ad nos commeare solent, nunciis accepimus, Montpensieria regis nostri sponsam in finibus Hispaniæ salutauit, & Mantuam Carpetanorum profecta est. Præter alia autem munera, quibus eam vidua regina Hispaniæ Bajonna abeuntem donauit, memorari in primis merentur gladiolus, & baculus adamantibus egregie distincti, quos illa muneris loco Asturiæ principi adferre debet. Superioribus diebus, virgo quædam, nomine Busquia mortua est, quæ propterea quod paupertatem mentita fuerat, publico sumptu vixit, & stipem ab hominibus opulentioribus collegit. At enim post mortem eius, præter mundum muliebrem satis nitidum, & vasa aliquot argentea, sex & quinquaginta millia librarum galicarum, quæ reliquit inuenta sunt.

Alia. a. d. 23. Jan. Postquam nobilissimæ feminæ, quæ regiam sponsam, ad Phasianorum vsque insulam adduxerant, e conspectu eius discesserant, illa protinus interrogauit, quæ mensæ adstiterant, pedisequas, vbi locorum esset, quam matris deinceps loco obseruare, & colere deberet? Cumque Ventadouria ad hæc verba præsto esset, in amplexus occurrentis illico ruere cœpit regis sponsa, eamque deosculata est. Tanta autem animi constantia feminas, qui-

bus adsueuerat, a se dimisit, quantam in tam teneram ætatem cadere, haud facile aliquis existimauerit. Jam breuibus itineribus, ne viæ incommodis tenellum fatigaretur corpus, Lutetiam Parisiorum contendit, in qua tamen vrbe vix ante Kalendas Martias conspicietur. Namque illi, qui cohortibus prætorianis præfecti sunt, in mandatis acceperunt a rege, vt illo tempore, quod constitutum est aduentui reginæ, consuetis eam cerimoniis excipiant. Ipse rex illi extra urbem ibit obuiam, atque in urbem secum eam adducet. Tanta autem isthæc omnia fient magnificentia, quantam post hominum memoriam oculis haud vidimus. Conclauia enim in vetere, vt dicitur, Lupara, dies noctesque summa præparantur industria, quæ reginæ, ejusque comitibus assignabuntur. Boisium purpuratum, a largitionibus (*) reginæ fore, aiunt, id quod tamen non nisi tempus docere poterit. Regina Hispaniæ vidua, non tantummodo regis sponsæ, cum ea Bajonnam transfret, sed etiam Rohanio principi, & præter eum, Ventadouria, & Soubisæ, quarum consilio, & opera deinceps illa educabitur, splendidissima munera obtulit. Hesternodie, postquã sacra matutina finita erãt, rex duos & sexaginta equites ordinis, cui a Spiritu sancto inditum est nomen, renunciauit, inter quos dux Ossunenfis, regis Hispaniæ legatus extraordinarius, & Albanus Clementis XI. pontificis Romani nepos, primum obtinuerunt locum, & more prorsus inusitato. cæruleam fasciolam, quo insigni nempe vtuntur ejusmodi equites, e manibus regis acceperunt, quantumuis solemnis inauguratio ad tempus, quo rex coronabitur, prorogata fuerit. Dux Ossunenlis, rebus ex animi sentententia in hac

hac aula gestis, Mantuam Carpetanorum profectus est. cum paullo ante ab itum regis imaginem, adamantibus egregie distinctam, muneris loco, ab Aurelianiensi accepisset. Die. 19. Dec. Acunha, *marchio*, Cameracum abiit, solemni conuentui, de quo nihil amplius dubitandum est, nomine regis Hispaniæ, interfuturus. (*) *grand. Aumonier.*

Londino, a. d. 20. Jan. Circumfertur in hac vrbe libellus, cui ejusmodi præfigitur titulus: *Consideratio necessaria, illo tempore facta, quo noua membra in curiam eligebantur, illis ad dijudicandum proposita, qui fundos in magna Britannia possident.* Ipsum libellum, auctor, adsumto Britannici nomine, Guilermo Cherwindo, rei naualis procuratori dedicauit, quem ita collaudat: „Nihil magis optandum nobis est, quam „vt proximis regni comitiis ejusmodi „patres in vtrumque magnæ Britannæ „senatum adlegantur, qui Cherwindi „exemplo, ad afflictis patriæ rebus consulant. Quilibet facile perspicit, ex illorum auctorem esse numero, cui patriæ salus curæ ac cordi est. Id, quod omnium clarissime e sequentibus verbis elucet: „Cuiuslibet hominis cordati, qui salutem, pacem, & tranquillitatem in magna Britannia florere cupit, officium esse reor, vt hoc in primis tempore, quo, publico constituntur nomine, qui comitiis interfint, „omnibus adnitatur viribus, vt viris „probis, honestis, atque integris id „munus decernatur. Hac enim ratione „fides publica feliciter restaurabitur, „commercia pulcherime flore bunt, religio cum libertate in tuto collocata „erit. Quod si autem contraria omnia „acciderint ratione, calamitatum & „miseriarum turbam iam animo præuideo, cujus sole imago, quam mente

„concipio, ingenti me horrore perfundit. Vt autem rite seligantur ejusmodi viri, omnis cura vtilitatis cuiusdam priuatæ abjicienda est ex animo, „simultates, quæ nobis cum allis intercedunt, paulisper sunt seponendæ, & „nihil omnino est faciendum, quod „animum inconstantem, & præjudicatis opinionibus deditum arguere queat. Superiori die Sabathi qui tribus sacer erat regibus concursauerat vrbe tota ingens hominum multitudo, vt regem in aula ludentem conspicerent. Ita enim more antiquo traditum est, vt illo die rex in conspectu omnium chartulis, tesserisue luderet. Id autem quod ludendo amittit, summo cedit janitori, qui chartulas lusorias, tesseras, mensulasque præbere solet in aula ludentibus. Illo die sexcentas libras Sterilingicas, quas lusu perdiderat rex, accepit. Et quoniam eo tempore Lawius cum filio omnium primum ad regem, cuius osculatus fuerat manum, admissus est, quam plurimis id festiui ingenii hominibus suggillandi dedit materiam. Inter alios, quidam, scripto palam edito, scribere haud dubitauit, illo in primis tempore Lawium cum filio accessisse ad regem, vt summi janitoris munere potiretur.

Hagæ Comitum, a. d. 3. Febr. Præpotentes Belgii fœderati ordines vniuersas, quas hoc tempore habent, copias comunerandas curarunt, quo facto armatorum 34321. esse intelleximus. Perditum videlicet centuriæ 622, inter quas Heluetiorum 30. totidemque scotorum sunt. Præter dimacharum, qui tamen omnes equis destituti sunt, centuriæ 82. numerantur. Quibus alendis 5095240. florenorum quotannis impenduntur. Rumor, qui nuper de classe

classe Anglorum, Spitehado iam egressa, ad nos perlatus est, multos reddiderat sollicitos; sublatis tamen, quæ conuentum Cameracensem hucusque sufflamabant, difficultatibus, spes est, inimicitas, quæ inter Britanos atque Portugallos gliscere iam cœperant, compositum iri.

Regio Lepldi a. d. 2 Ian. Nudius ab hinc tertius reducem in hanc urbem vidimus principem Mutinensem, cum conjugē, quibus se Rohanius, purpuratus, comitem itineris adjunxerat. Illi autem in palatium, castello contiguum, diuerterunt, in quo Rohanius tantisper commorabitur, dum podagræ, qua valde adffigitur, doloribus liberatus, iter in Galliam persequi poterit. Princeps autem Mutinensis, eum omnibus, quos secum fatis magna copia adduxit, hominibus, in hac aliquamdiu vrbe subsidebit, quam ob causam, milites Heluetii huc euocati, & diuersis per urbem hospitibus dispositi fuere. Sunt, qui Rohanium, priusquam is in Galliam abierit, Parmam & Placentiam visurum autumant, & in his omnia sedulo comparari, ajunt, urbibus, quibus eiusmodi hospes, peregre adueniens, pro eo, ac decet, excipiatur.

Augusta Taurinorum. a. d. 10. Januari. Nonis Januariis, iassu regis Sardinia, omnes ex aula homines certiores facti sunt de connubio, quo princeps Pedemontanus uxorem sibi iungere principem Palatino-Sulsbacensem, & proximo quoque tempore domum ducere constituit. Quare, omnes viri nobiles, legati exterorum principum, atque alii in dignitate constituti homines, magno ad principem confluxerunt numero, ut ei inprimis, tum & aliis, qui arcta eum contingunt propinquitate, faustum fortunatumque illud matrimonium solem-

ni formula precarentur. Cras, Salutiensis comes, dux prætorie cohortis, iter in Palatinatum ingrediatur, & sponsi nomine, principi Palatino-Sulsbacensi munus feret, quod triginta numorum aureorum, quos Ludouicianos vocant, millibus æstimatur. Equidem de donatione, quæ propter nuptias decerni solet nouæ nuptæ, nihil adhuc constitutum fuisse, audiimus, haud secus tamen, ac reginae olim nostræ factum meminimus, magnam ei pecuniæ vim destinatum iri, arbitramur.

Hafnia, a. d. 24. Jan. Rei nauticæ præfectis mandata nuper a rege data sunt, ut primo quoque tempore triremes quam plurimæ parentur, præterea & naues bellicas quatuordecim eum instruendas curare, quibus proximo vere uti queat. Cum nuper lis quædam inter *Schulmanum* atque *Bunibrium*, chiliarchas, oborta fuisset, eam singulari certamine prope Helsingoram diremerunt, sed quam infelicissime; prior, enim glande plumbea vulnus in altero pede accepit, posterior autem ab aduersario, artis iaculandi peritiore, ita fuit tactus, ut in eo, quem occupauerat, loco, animam reddere debuerit.

Vienna, a. d. 14. Febr. Superiori die Martis Imperator Augustus, *Illustrissimum comitem Königel*, eundemque comitatus Tyrolensis præfectum eorum, in numerum quos a consiliis intimis habet, vltro adsciuit, qui eadem statim die solemni iurisiurandi formula fidem suam Imperatori pollicitus est.

Pofonii, a. d. 18. Febr. Solemnes Bacchanaliorum dies, quibus insanire sæpe multas videas, finiri apud nos sine cæde non potuerunt; superiori enim solis die, metator hospitiorum ab alio, qui eodem munere fungitur, gladio sub arce ipsa peremptus est.